Wissenschaftliche Beilage zum Programm des Askanischen Gymnasiums
zu Berlin. Ostern 1892.

De codicibus Mediceis Annalium Taciti

scripsit

Georgius Andresen.

BERLIN 1892.
R. Gaertners Verlagsbuchhandlung
Hermann Heyfelder.

1892. Programm Nr. 51.

Fridericus Knoke, eorum quae Tacitus de Germanici Caesaris transrhenanis bellis memoriae prodidit, subtilis interpres idemque sermonis Taciti existimator elegans, in eo programmate, quod scripsit de comparativi *plures* apud Tacitum usu, p. 9 de his verbis regis Carataci disserit: *neque dedignatus esses claris maioribus ortum*, *pluribus gentibus imperitantem foedere pacem accipere* (XII 37, 4). „Die Regel ist", inquit, „dafs ein Fürst nur über ein Volk herrscht. Caratacus that sich aber etwas darauf zu gute, dafs er über mehr als ein Volk geherrscht habe." Non est quod contra dicam, atque etiam libenter fateor hanc interpretationem copia similium locorum quos ille eodem congessit, bene stabiliri. Ac tamen ille in hoc loco operam perdidit; nesciebat enim (nec scire potuit) in codice haud dubie ac sine ulla correctione aut rasura scriptum esse *plu* (hic terminatur versus) *rimis gentibus*. Falsam scripturam, cum in Beroaldi editionem inrepsisset, inde per omnes, quae secutae sunt, editiones propagatam nec ab ullo eorum, qui ipsum codicem inspexerunt, veram inventam esse mirarer, nisi in rebus humanis similia haud raro accidere compertum haberem. Scripturam autem codicis commendare nihil opus.

Etiam magis mirabile est, quod Baiterus et Ritterus XVI 26, 1 locativum *domui* in Mediceo scriptum esse consensu testantur, cum aperte scriptum sit *domi*. Editorum plerique hoc unicum apud Tacitum veteris formae, ut putabant, exemplum pia reverentia colendum ac retinendum esse censuerunt; pauci cum mirantes quaesiissent, cur Tacitus, cum circiter triciens scripsisset *domi*, hoc uno loco locativo eam formam dedisset, quam dativo reservavit, audacter mutando solitam locativi formam restituerunt. Ac iure, nisi quod iam mutatione opus non esse scimus. Igitur tollendum est hoc locativi *domui* exemplum non modo ex lexico Taciteo, sed etiam ex libris grammaticis, in quos ex testimoniis Baiteri et Ritteri translatum est[1]).

Haec ego et quae deinceps proferam, inveni, cum Laurentianos codices P. Cornelii Taciti — nam id ei praenomen fuisse hodie constat — librorum ab excessu Divi Augusti Florentiae mensibus Novembri et Decembri a. 1890 excuterem, quae opera cum mihi per se ipsa iucunda

---

[1]) Huc de formis quorundam vocabulorum minora addo haec: XIV 23, 10 Tacitus scripsit *misericordia adversum supplices*, *celeritate adversus profugos* (nam sic est in Mediceo; falso priores *adversus supplices)*. II 59, 13 B. et R. *adversum* in *adversus* correctum esse dicunt. Cur igitur *adversum* scribere maluerunt quam *adversus?* Nam librarius ipse quin correxerit, dubium non est. Ego quoque *adversum* praefero — nam haec forma, etsi multo est rarior altera, saepius tamen ante vocales reperitur, sequitur autem hoc loco *ingentis* — eaque causa est, cur librarium *adversus* in *adversum* mutasse credam; nam ipsa species correctionis et hoc et illud prius scriptum fuisse credere nos patitur. XII 57, 4 falso scribitur *rursus*, nam in Mediceo est *rursum*; item XV 45, 2 *civitatum*; nam in codice *civitatium* scriptum est, quod non vidit Ritterus, ante eum viderat Baiterus. Tacitus utraque forma utitur, sed saepius pleniore.

esset, tum etiam iucundior facta est benevolentia eius, qui bibliothecae Laurentianae praeest, Doctoris Biagi, ceterorumque, qui ibi studia hominum peregrinorum adiuvant, virorum doctorum, quos propter suavitatem morum diligere coepi.

I 46, 7 *principem longa experientia.* At Ritterus *longae experientiae;* nam in codice invenisse se testatur *longe experientia* eique testimonio apponit „sic", nimirum ut Baiterum, qui nihil adnotaverat, erroris convinceret. At (mirum dictu) in codice aperte scriptum est *lon* (hic terminatur versus) *ga experientia.* Neque in hoc ablativo quicquam est quod displiceat. Sed ea res me admonet, ut ne eis quidem Ritteri testimoniis omnibus, quibus „sic" illud apposuit, credendum esse doceam. Velut III 23, 13 in codice scriptum esse affirmat *quirini;* at scriptum est (idque recte) *quirinii;* III 29, 11 scriptum est non *congiarium,* ut ait R., sed *conglarium,* VI 3, 9 non *precium,* sed *praecium,* VI 9, 13 non *contremuerant que*, sed *contremuerant quae* (quamquam *a* littera utroque loco transversa linea deleta est); et in altero Mediceo XII 1, 1 non *ede*, sed *cede,* XII 65, 9 non *britannico,* sed *brit*(hic versus terminatur)*tannico,* XIII 10, 4 non *censuissēt*, sed *censuisset* supraposita in fine vocabuli littera exigui ambitus, quae mihi videbatur esse *n* (certe librarius ipse eam posuit ac, si est *n*, errorem, quem admiserat, bene correxit), XV 47, 1 non *vulgantur,* sed *volgantur*; 70, 1 in litteris *Ex Immane* (hic est finis versus) *na et* in fine versus *e* litteram (ab ipso librario, ut videtur) Ritterus non vidit duabus lineis recte deletam esse (nam ipse restituit *Exim Annaei*). Horum pleraque recte legerat Baiterus; qui post eum eosdem libros inspexit, eo ipso tempore, cum illius errores a se corrigi profiteretur, falsa rettulit,

I 62, 1 *Igitur Romanus qui aderat exercitus sextum post cladis annum trium legionum ossa, nullo noscente, alienas reliquias an suorum humo tegeret, omnes ut coniunctos, ut consanguineos aucta in hostem ira maesti simul et infensi condebant.* Ibi verba *Romanus qui aderat exercitus* ex initio praecedentis capitis *(omni qui aderat exercitu)* repetita ad poetarum lyricorum morem quendam bene mihi Nipperdeius rettulisse videtur. Neque ego his quicquam adderem aut quaererem, cur pro *omni* posteriore loco scriptor substituisset *Romanus* (hoc enim satis placet), si in codice scriptum invenissem *Romanus.* Ibi enim est *Romanis*, quod nemo adhuc rettulit. Inde dubitare coepi, utrum probabilius ex *Romanis* fieret *Romanus*, sicut III 20, 10 pro *Romanus* scriptum est in codice *Romanis*, quod posterior manus correxit, an *omnis*, duabus litteris deletis, quarum prior ex dittographia potest nata esse (nam praecedit *igitur*), altera similiter inserta esse credi potest, atque, ut unum exemplum adferam, IV 25, 9 pro *turmae* scriptum est *turamae.* Sed ego in neutram partem disputo: videant alii secumque expendant, utrum Tacitum hoc loco plane eadem vocabula, quae antea posuerat, posuisse an paullum immutata repetivisse credere praestet. Nam ab interpolatore inserta esse quis dicere audebit aut audenti credet?

II 13, 11 *incendit ea contumelia legionum iras.* Sic editiones omnes, nec quicquam in apparatu critico adnotat aut Baiterus aut Ritterus. Scilicet in codice apertissime scriptum esse *intendit* neuter vidit. Decepti enim sunt similitudine aliqua, quae in codicis Medicei primi scriptura est inter *c* et *t* litteras, quae tamen facile eo inter se distinguuntur, quod litterae *c* superior pars exceptis paucissimis locis, ubi *c* litteram sequitur *t*, nunquam usque ad sequentem litteram pertinet, *t* semper. Videamus igitur, rectene dictum sit *intendit ea contumelia legionum iras.* Ego facile omnibus me persuasurum spero non solum recte hoc loco scribi *intendit*, sed etiam rectius quam *incendit.* Apud Tacitum enim trita sunt haec: *augere animorum motus, gaudia, laetitiam, studia, amorem, curas, metum, consternationem, suspicionem, offensiones, invidiam, odia, iram* (Ann.

I 62, 4) vel *iras* (Ann. III 9, 7. H. V 10, 10); atque idem valent haec: XIII 15, 13 *Nero intellecta invidia odium intendit*, 47, 6 *quem metum Graptus, ex libertis Caesaris, — tali mendacio intendit*, H. I 12, 14 *hiantes — amicorum cupiditates ipsa Galbae facilitas intendebat*, II 54, 10 *intendebat formidinem, quod —*. Proxime vero ad eum de quo agimus locum accedunt haec: XIV 23, 3 *At Corbulo post deleta Artaxata utendum recenti terrore ratus ad occupanda Tigranocerta, quibus excisis metum hostium intenderet*[1]) et XII 35, 5 *sed miles proelium poscere, cuncta virtute expugnabilia clamitare; praefectique et tribuni paria disserentes ardorem exercitus intendebant* (male Lipsius *incendebant*). Nam ut his locis motus animorum, cum iam antea extitissent, aucti esse dicuntur, ita II 13, 11 iram militum, qua iam antea incensi clamitaverant *perfidos et ruptores pacis ultioni et gloriae mactandos*, promissis unius hostium auctam esse videmus, Haec igitur contumelia *intendit* potius (sive *auxit*) legionum iras quam *incendit*. Nec dubium est, quin recte Rhenanus XIV 45, 11 *ne mos antiquus, quem misericordia non minuerat, per saevitiam incenderetur* scripserit *intenderetur*, id quod vel ipsum illud *minuerat* docet[2]), coll. IV 2 *vim praefecturae modicam antea intendit*, nec minus recte I 47, 6 *ac ne postpositi contumelia intenderentur* littera *c* supra posita vetere manu in ipso codice emendatum sit *incenderentur*. Sed ut ad ea verba redeam, quibus genuinam formam non emendando, sed ipso codice monstrante reddidimus, Tacitus, si scripsisset *incendit — iras*, a constanti dicendi consuetudine recessisset. Non enim dicit motum animi incendi, sed hominem (vel animum hominis) amore (Ann. IV 3, 10. XIV 42, 3), ira (H. IV 21, 11. 77, 14) incendi. Neque hunc morem suum infregit, cum Ann. I 23, 1 scriberet *incendebat haec* (i. e. verba sua) *fletu* ac similiter II 82, 9 *hos vulgi sermones audita mors adeo incendit, ut*. Hoc argumento res conficitur.

VI 1, 13 haec scripta sunt in codice: *praepositique serviquirerent pertraherent.* Idque recte testatur Baiterus et hunc secutus velut divinans, quid verum sit, Halmius. Nam Ritterus falso refert scriptum esse *servi qui quirerent*. Emendaverunt Beroaldus *qui quaererent*, Doederlinius *qui conquirerent*, Weifsenbornius *qui requirerent*. Iam apparet, ex codicis scriptura probabilius effici verbum compositum quam simplex; oculi enim librarii a priore *qui* ad posterius aberraverunt. Nec diu quaerendum est, utrum probabilius sit, quod Doederlinius an quod Weifsenbornius coniecit. Est enim apud Tacitum Ann. I 30, 1 *ut quisque praecipuus turbator conquisiti*. H. IV 46, 10 *ceteri per urbem et urbi vicina conquisiti*. Itaque et codex ipse et Taciti sermo Doederlinii coniecturam commendant eamque recte recentiores omnes receperunt.

VI 21, 16 *quae — dixerat, oracli vice accipiens*. Sic recte a plerisque scribitur. Nam ut eos locos omittam, quibus victoriam pro praeiudicio (G. 10, 22), crebram oris confusionem pro modestia (H. IV 40, 4) acceptam esse Tacitus dicit quaeque alia sunt similia, haec habeo etiam similiora: H. II 91, 2 *funesti ominis loco acceptum est, quod —*, IV 26, 7 *prodigii loco accipiebatur ipsa aquarum penuria*, Ann. XI 11, 3 *favor plebis — loco praesagii acceptus est*. Hic enim *loco* idem valet quod illic *vice*. At Ritterus scripsit *excipiens*, etsi similia exempla verbi excipiendi frustra apud Tacitum quaeruntur. Id autem cur fecit? Quia in codice affirmat scriptum esse

---

[1]) Dissimilia sunt quae leguntur Ann. I 28, 15 *spem offerunt, metum intendunt*.

[2]) Hoc vidit etiam Ed. Wolff, qui de verborum incendendi et intendendi apud Tacitum usu Woch. f. klass. Phil. 1887 p. 565 quaedam congessit. Idem verumne viderit Lipsius XII 35, 5 subdubitat; negasset, opinor, si scisset, quod nunc scimus. Nam illius conatum commendari existimat ipsis illis verbis II 13, quae nunc ipsum correximus.

eiccipiens, quod idem ante eum affirmaverat Baiterus. Non recte legerunt viri doctissimi. Librarius enim cum scripsisset *oraclivіciaccipiens* ac per errorem *vici* pro *vice* scripsisse se vidisset, hunc errorem correcturus non *i* in *e* mutavit, quod debebat, sed novo errore admisso illud *e* priori hastae *a* litterae imposuit, quod tamen ita fecit, ut formam litterae *a* non obscuraret. Falso igitur *ei* in codice esse dicunt; immo est *a*, cuius sinistrae parti imposita est littera *e*. Haec Pfitznerus cum legerit, qui solus, quantum video, ex eis editoribus, qui post Ritterum extiterunt, *excipiens* scripsit, illius exemplum sequendum sibi non fuisse intelleget.

Hoc loco, etsi correctio librarii non eo loco quo debebat poni posita est, tamen ipsam correctionem veram esse docuimus. Eadem ratio omnibus locis tenenda est, in quibus aliquid ab ipso librario correctum esse aspectus scripturae persuaserit. Velut ad ea, quae quinque versibus post leguntur (VI 22, 4): *sapientissimos veterum* — *diversos reperies* Ritterus in codice *repericcs* scriptum esse idque vetere manu in *reperiecs* correctum esse adnotat. In hoc testimonio tria sunt vitia. Primum enim librarius non scripsit *repericcs* (quod scripsisse eum quis credet, etiamsi librum ipsum non inspexerit?), sed *reperias*. Nam duae in Mediceo primo formae sunt litterae *a*, quarum altera, quoniam duabus *c* litteris coniunctis aliquatenus similis est, Ritterum hoc loco decepit. Correctionem vero non fecit vetus aliqua manus, sed ipse librarius, nec correctione effectum est *reperiecs*, sed *reperies*; nam librarius cum correctionem priori parti *a* litterae affixisset, posteriorem partem vel expungere vel transversa linea tollere supersedit. Haec omnia ante Ritterum recte dixerat Baiterus, ille in peiora abiit. Itaque, quoniam eis, quae librarius ipse mutavit, fides habenda est, iam certum est scripsisse Tacitum *reperies*, non *reperias*. Idque duobus exemplis confirmavit Nipperdeius; ego tertium hoc adiungo: *divitiae et opes, quas facilius invenies qui vituperet quam qui fastidiat* (Dial. 8, 28). Illius autem, de qua modo dixi, consuetudinis corrigendi pauca (eaque insignia) exempla addere satis erit. IV 45, 6 uterque editor librum Mediceum *fraistratus* pro *frustratus* praebere testatur. Incredibile id quidem (neque enim quaelibet pro quibuslibet posuerunt librarii), nec verum. Nam sic se res habet: librarius, cum in secundam syllabam aberrans *fra* scripsisset pro *fru*, perspecto errore suo *u* ita effecit, ut posteriorem partem *a* litterae assumeret, priorem relinqueret. Nec credendum aut Rittero IV 62, 15 in Mediceo pro *stragis* scriptum esse *staagis* — nam *a* librarius, quod per errorem praeceperat, ita correxit in *r*, ut sinistram illius litterae partem non deleret — aut Baitero et Rittero VI 37, 20 librarium pro *Vitellius* scripsisse *Vitellelis* (quod prodigii instar esset). Nam cum post *vitell* litteras *el* male repetivisset, viso errore *e* mutavit in *i*, *l* in *u* (ac sic effecit *Vitellius*); quae autem post correctionem ex litteris *e* et *l* supererant, ea intacta reliquit. Nec Attus Clausus IV 9, 10 in codice Mediceo nominatur *Attus Classus*, ut est apud Ritterum, sed suum ibi habet nomen; nam *u* eadem manus correxit ex *s*, quod male praeceperat. Etiam multa alia recte scripta sunt in Mediceo primo ac nequaquam corrupta eis vitiis, quae Ritterus (ac partem eorum Baiterus) repperisse sibi videbatur. Velut librarius scripsit I 1, 11 *adulatione* (R. *adulacione*), 64, 19 *leuum* (B. et R. *leum*), 81, 10 *confiderent. spetiosa* (non *confiderent. in spetiosa*, ut ait R., qui ex illo *in*, quod nullum est in codice, effecit *ea*), III 72, 4 *exsuuias* (R. *exsuias*), 73, 13 *aũt* (i. e. *autem*, R. *aut*), IV 25, 5 *ignarae* (B. et R. *ignare*), 71, 18 *proieceratque* (B. et R. *proleceratque*), VI 7, 9 *Minucius* (R. *Minutius*). I 8, 12 scripsisse librarium *portat* pro *porta*, 28, 23 *auerterano* pro *a veterano*, 35, 18 *impectus* pro *in pectus*, 41, 3 *conturberniis* pro *contuberniis* verum est; at eundem quae prave addiderat, lineola delevisse neuter priorum dixit. II 39, 8 *coram* pro *Cosam* (id enim est promunturio nomen)

in codice scriptum esse minime certum est; tertia enim littera potest esse *s*, cuius similis figura (paullum illa quidem depressa a superiore parte) extat etiam in vocabulis *lesbum* II 54, 1, *sexto* III 28, 6, *sunt* IV 68 16, *deseri* IV 70, 8, *cestius* VI 7, 13. — I 75, 13 quis *cupidioe* pro *cupidine* in codice scriptum esse Baitero et Rittero credit? Nec id scriptum est, sed *cupidine*, ita tamen, ut *n* correctum sit eadem manu ex inferiore parte *d* litterae, quam librarius per errorem iterum scribere coeperat. IV 21, 14 in vocabulo *effecerat* eadem manus prius *e* effecit ex *i*; falso Ritt. *e* suprascriptum esse dicit. IV, 73, 23 librarius *confeltos*, quod scripserat, ipse in *confectos* correxit; addidit insuper *c* supra versum manus recentior. I 10, 13 codex habet *inimicitiis*, non *inimicitius*, ut ait uterque; VI 1, 14 scribendum est *abnuentis*, nam eadem manus *i* ex *e* correxit; VI 29, 21 codex habet *ante it* (ut *Athen ensibus* III 26, 11), non *anteit*, ut priores tradunt, ac vacuo spatio vestigium veri (*anteiit*) relinquit. II 45, 8 pro *per catervas* in codice *pec|tervas* scriptum esse tradunt. At tertia littera nec *c* est nec *r*, sed mixtum aliquid ex utraque littera; sequuntur in fine versus pallidae reliquiae litterae *a*, tum in initio novi versus *tervas*. IV 24, 12, ubi pro *rege Ptolemaeo* scriptum est *recepto leameo*; sub *c* possunt dispici vestigia litterae *g*. IV 13, 7 pro *ob atrocitatem* librarius scripserat *abotrocitatem*: *o* in *a* mutavit ipse, supra *a* posuit *o* manus posterior, ut videtur. IV 40, 20 quae scripta sunt in codice, neuter accurate inspexit. Quod si fecissent, intellexissent librarium scripturum fuisse *te invitu*, mox *u* litterae paene perfectae (nam nihil deest praeter posterioris hastae inferiorem partem) priorem hastam mutasse in *e*. Postremo *o* suprascripsit manus recentior. Librarii correctiones tuendae sunt: quod hoc loco correxit, vicino vocabulo (*te*) deceptus intulisse videtur. Ergo scripsit Tacitus *qui te invitum perrumpunt*, quod etsi audacter dictum, tamen hoc scriptore dignum est. Etiam alio loco potest dubitari, sitne probandum, quod librarius codicis Medicei primi corrigendo effecit. II 72, 5 de Germanici morituri cum coniuge colloquiis haec traduntur: *haec palam et alia secreto, per quae ostendere credebatur metum ex Tiberio*. Ibi priores de codicis scriptura nihil adnotant nisi scriptum esse *ostender*. At *er* litterae impositae sunt litteris *is*, quas eadem manus antea scripserat, ac sequitur altera littera *s*, spatium autem versus, cuius hic est finis, non totum expletum est. Itaque quaerendum est, utrum aptius sit *ostendere* an *ostendisse*. Ego, ut est lubrica res, nihil pro certo adfirmo; sed tamen etsi iam tum ipsum, cum Germanicus cum coniuge secreto colloqueretur, amicos eius suspicatos esse dicas, quid ille ostenderet, melius ac simplicius res ita digeruntur, ut amicos finito demum colloquio suspicatos esse censeamus, quid ille significasset[1]). Sed id alii diiudicent eidemque reperiant, unde prava scriptura — nam altera utra prava iudicanda est — irrepserit.

XI 24, 13 in codice pro *provincialium* scriptum esse *provincilium* dicunt. At inferiori parti *l* litterae ab ipso librario additum est signum quoddam in sinistram partem versum, laqueo simile. Hoc signo illam ipsam *a* litteram, quae desideratur, indicari et similitudo formae docet et alterum exemplum XIII 26, 12, ubi ex *campiniam* librarius *campaniam* ita fecit, ut inferiori parti *i* litterae laqueum illum in sinistram partem versum adderet. Id tantum interest inter utramque correctionem, quod posteriore loco etiam hasta in dextram partem versa adiuncta est. De hoc quoque loco tacent Baiterus et Ritterus (qui ne id quidem referunt, in fine vocabuli signum *m* litterae,

---

[1]) Eadem ratio est, ut ut hoc uno exemplo utar, eorum, quae II 54 traduntur: *et ferebatur Germanico per ambages, ut mos oraculis, maturum exitum* (sic bene Heraeus, Med. *exitium*) *cecinisse*. Scilicet amicorum nemo Germanici cum sacerdote colloquio interfuerat.

incertum a quo, deletum esse). Tum XI 17, 9 priori *e* vocabuli *alecre* idem signum adiunxit librarius, quo *alacre* restitueret. Postea vir doctus aliquis *a* suprascripsit, eaque demum correctione mendum sublatum esse putabant B. et R., cum scriberent „*alecre* pr. M“, nescii iam antea esse sublatum. Sed gravioris momenti est quartum exemplum. Legimus enim XVI 33, 3 *quo obsequio florentem Soranum celebraverat, labentem non deseruit.* Nihil adnotant B. et R. Quippe in vocabulo *labentem* inferiori parti prioris *e* litterae laqueum illum in sinistram versum additum atque insuper superiorem eiusdem litterae partem duabus lineolis deletum esse aut non viderunt aut quid valerent haec additamenta, non intellexerunt. Nimirum librarius (ei enim hanc quoque correctionem tribuendam esse certum est) ex *labentem* fecit *labantem.* Idque verum est, sicut cetera quae ipse corrigendo effecit. Lababat Soranus, non labebatur. Similiter XIV 12, 21 *labante iam Agrippina.* De eis autem, quae H. III 23, 1 leguntur: *sustinuit labentem aciem Antonius accitis praetorianis,* ubi in Mediceo *labentem* scriptum esse affirmant, codices deteriores *labantem* habent, non audeo diiudicare, quoniam illo loco Mediceum alterum non inspexi. Suspicionem tamen movet scriptura codicum deteriorum, quippe qui ex illo originem duxerint.

XI 38, 12 Halmius ac plerique recentiorum: *cum supra Pallantem et Callistum ageret,* Ritterum secuti, qui in textu posuit *supra* nec de Medicei scriptura quidquam hic adnotavit. At idem Ritterus ad XI 16, 19 *super cunctos attollatur* ibi *super* per idem compendium in Mediceo scribi dicit, per quod scribatur c. 28 (in voce *superesset*) et 38. Hoc verum est, illud falsum; ac recte Baiterus XI 38, 12 *super* in codice scriptum esse dicit. Plurima enim sunt exempla, quae illo compendio semper *super,* numquam *supra* significari doceant. Baiterum illo loco secutus est unus Nipperdeius, sequantur oportet reliqui editores, ubi primum corrigendi facultas data erit et scribant *cum super Pallantem et Callistum ageret.*

XII 5, 3 *necdum celebrare sollemnia nuptiarum audebant* (scil. Claudius et Agrippina), *nullo exemplo deductae in domum patrui fratris filiae: quin et incestum; ac si sperneretur, ne in malum publicum erumperet, metuebatur.* Sic Nipperdeius; nec nunc quaero, rectene ad *incestum* suppleverit *esse*; hoc dico recte eum scripsisse *metuebatur* (scil. ab Agrippina et Claudio). Nam Ritterus in codice *metuebant* adiecta virgula legisse se testatur, unde in textu posuit *metuebant.* Hunc secutus est Pfitznerus. Vera de hoc quoque loco rettulit Baiterus; nam in Mediceo aperte scriptum est *metuebatur*, idque sine ulla rasura aut correctura. Itaque *metuebant* textu pellendum est.

XII 14, 12 *donec Carenem profligatis obversis longius evectum integer a tergo globus circumveniret.* Hoc loco displicet et participiorum iniucunda cumulatio et participium *obversus* loco substantivi positum, cuius hoc unicum apud Tacitum exemplum est. Nec vero in codice scriptum est *obversis*, sed *obusis*, quod vidit Baiterus, neglexit Ritterus. Iam comparatis quae scripsit Tacitus H. III 17, 12 *Antonius instare perculsis, sternere obvios* et Ann. XIV 30, 9 *inferunt signa sternuntque obvios et igni suo involvunt* illo loco *profligatis obviis* scribendum esse facile conicias; sic enim utraque offensio, de qua supra dixi, tollitur. Nec minus lene hoc remedium, quo *s* in *i* mutatur, est quam illud, quo pro *u* scribitur *uer,* i. e. *ũ.*

XII 36, 11, ubi regem Caratacum paullo ante captum a Claudio Caesare populo Romano ostentatum esse Tacitus scribit, haec leguntur: *incedentibus regiis clientelis.* Hoc loco *clientelas* pro *clientibus* dici vulgo existimant atque eandem interpretationem amplexi sunt lexici Tacitei auctores, qui duo alia eiusdem significationis exempla adferunt: XIII 37, 1 *at Tiridates super proprias clientelas ope Vologesis fratris adiutus* et XIV 61, 12 *vitam ipsam in extremum adductam a*

clientelis et servitiis Octaviae. At haec multo minus audacter dicta esse quam illud apparet; ibi enim clientelae dicuntur incessisse, tamquam suos quaeque habuerit artus suumque corpus. Ac tamen hoc ferendum esset et in eo quod omnes de hoc loco aut dixerunt aut senserunt, acquiescendum, nisi liber Mediceus opem ferret. In eo enim scriptum est *clientulis.* Quod priores fefellisse videtur propterea quod litterae *u* duae virgulae impositae sunt, quarum una in modum arcus circumducta litteram *u* a superiore parte claudit, altera interiorem litterae partem obliquo cursu traicit. Sed haec additamenta nec eiusdem manus sunt, quae *u* litteram scripsit — nam multo pallidiore atramento facta sunt — nec *e* iis aut effectum esse aut eum, qui fecit, efficere voluisse certum mihi esse videbatur — quamquam quid aliud ille aut quid omnino voluerit efficere, nescio. Hoc constat quae hic addita sunt, longe differre ab ea litterae e forma, qua librarius Medicei alterius etiam in cōrrectionibus constanter usus est. Quo cum accedat atramenti color ille diversus, Tacitum *clientulis* scripsisse crediderim. Id vocabulum etsi apud nullum scriptorem latinum reperitur excepto Dialogi illo loco, qui est 37, 2 *ne clientulorum loco potius quam patronorum numerarentur*, tamen Tacitus mihi haud inepte hoc loco elegisse videtur, sive ut vanitati Caesaris, qui, ut suum decus extolleret, populum ut ad insigne spectaculum vocaverat, et adulationibus senatus, qui hunc triumphum P. Scipionis et L. Paulli victoriis adaequabat, opponeret humilitatem et parum insignem speciem clientium Carataci, sive ut eorundem vultus demissos et preces degeneres opponeret regis ipsius feroci et invicto adversus fortunam animo. Quamquam potest etiam utrumque verum esse.

XII 38, 13 *nec multo post pabulantis nostros* (sic Puteolanus; Med. *nos ipsos*) *missasque ad subsidium turmas profligant.* Sic vulgo, ac recte. De codicis scriptura vocabulorum *missasque ad subsidium* tacet Baiterus; Ritterus *missasque et ad subsidium* legisse se refert. Neuter recte legit. Scriptum enim est in Mediceo *missasque a* (hic est finis versus) *ad subsidium*; nec ulla est rasura. Nihili igitur est (idemque ad sententiam plane otiosum) *adcurrentes* illud, quod R. inter *et* illud, quod legere sibi visus erat, et *ad* supplevit, Sed *a* illud, quod est in codice, quid sibi vult? Nimirum librarius initium vocabuli *ad* bis scripsit ac prius illud *a*, quoniam intercedebat finis versus, delendum sibi esse oblitus est. Hanc causam omissae correctionis fuisse tria alia exempla eiusdem erroris docent, quae, non intercedente fine versus, librarius animadvertit et correxit. Nam XVI 14, 15 *scribita ad* scriptum esse in Mediceo et B. et R. recte dicunt, non dicunt prius *a* lineola, quae per totam litteram pertinet, eadem manu deletum esse. Hic igitur locus illi, de quo supra diximus, simillimus est. Nec multo dissimiliora sunt quae scripta sunt in codice XII 48, 11 *ut abscederet aafinibus armeniis filiumque aabstraheret,* nisi quod priore loco ante *afinibus* etiam *t* fuisse potest, nempe per errorem repetitum. Utrumque autem *a* (vel *t* et *a*) erasum est. Nihil de hac re apud Baiterum aut Ritterum invenies. Aliquantum differt quartum exemplum hoc: XII 54, 10 *contemptu regentium.* Ibi illi *contemptuj* in Mediceo scriptum esse consensu produnt. Minime, nam post *contemptu* nullo intervallo aspicitur *r* littera eaque nec tota expressa (deest enim dextera pars) et lineola a sinistra parte adiuncta deleta. Hanc autem litteram librarius non absolutam propterea delevit, quia novo incipiente vocabulo (*regentium*) intervallo opus esse intellexit. Is quoque diversi generis error est, quem librarius et admisit et correxit, cum XII 35, 2 scriberet *additum a vallum* atque litteram *a* lineola deleret. Nempe *additum* per errorem iterum scribere coeperat. Hic quoque locus a B. et R. praetermissus est nec magis illi viderunt XII 63, 8 scriptum esse in Mediceo *obliquissubter undas saxis,* quod exemplum prorsus simile accedit eis, quae

supra enumeravi; nam medium *s* paene totum erasum est. Iam vero etiam XV 10, 17 *promptius sustentavisset. aegre compulsum ferunt* recte plerique scripserunt. Nam *et* illud, quod ante *aegre* in codice reppererunt viri docti, nec totum expressum est — deest enim in dextra parte eius signi superioris virgulae maxima pars — et quod eius virgulae extat, potest videri coepto nec absoluto signo adiunctum esse, quo id totum delendum esse significaretur. Certe ex dittographia ortum est. Male igitur Haasius et Ritterus ante *et* aliquid excidisse coniecerunt (neque enim quidquam desideratur) nec melius Baiterus et Pfitznerus *et aegre* retinuerunt.

XII 50, 7 *deinde atrox hiems seu parum provisi commeatus et orta ex utroque tabes perpellunt Vologesen omittere praesentia.* Ibi *seu* pugnare mihi videtur cum verbis *et orta ex utroque tabes,* sive huius particulae eam vim esse malumus, ut dubitare se Tacitus dicat, fuerintne parum provisi commeatus, an eam, ut significetur incertum esse, fuerintne parum provisi commeatus una ex causis receptus. Nam quoniam ex utraque, non ex altera utra re tabem ortam esse Tacitus dicit, certum est primum et atrocem hiemem et parum provisos fuisse commeatus, deinde et atroci hieme et parum provisis commeatibus Vologesen coactum esse, ut regrederetur, quibus causis accessit tertia ex illis duabus orta. Haec causa est, cur in locum particulae *seu* substitui velim *et.* Nam ut bello Mithridatico primo exercitus ob asperitatem hiemis e t penuriam vestis gravissimo in discrimine erat (Ann. IV 56, 10), utque Vitellio fessos hieme a t q u e inopia hostes aggredi promptum erat (H. III 56, 12), ita tum quoque hiems e t inopia causa malorum fuit. His expositis codicem Mediceum consulamus. In eo post *hiemps. se* aspicitur littera, quae nequaquam est *u*, sed mihi videbatur esse *t*, quamquam a solita forma eius litterae paullum recedit. At prorsus eadem litterae *t* figura est XII 28, 5 in vocabulo *metu.* Deleta igitur *s* littera, quippe quae male repetita sit, resurgunt haec: *atrox hiems et parum provisi commeatus.*

Rarae litterarum formae duo insignia exempla addere iuvat, quo magis magisque minuatur copia eorum, quae librarius Medicei alterius deliquisse aut corrupisse dicitur. XVI 13, 4 recte scribunt *ad vicina urbi.* Id Baiterus ex codice Agricolae deprompium esse dicit; in Mediceo scriptum esse *ad vienia urbi*; ac similiter Ritterus. Ego, ut dicam quod sentio, acrius hoc loco eum qui codicem Agricolae scripsit, Mediceum librum inspexisse censeo quam recentiores illos aut eos qui *ad moenia urbis* scribi iusserunt. Nam in Mediceo aperte scriptum est *vicina.* Prima littera non solum infra, sed etiam superne clausa est, ut videri possit ex *n* esse correcta; tertia nequaquam est *e*, sed *c* insolita figura, cuius tamen similia exempla extant in vocabulis *indicium* 18, 16 et *luctibus* 22, 17; sequuntur non *n* et *i*, sed *i* et *n.* Nihil igitur opus est auxilio reliquorum locorum, quibus Tacitus *vicina urbi* scripsit, cum codex ipse hanc scripturam tueatur. — XIII 11, 5 *platium* scripsisse librarium dicunt (et scripsit *platio* XIII 32, 6), cum deberet *plautium.* At superiori parti *a* litterae in fine versus adnexa est ab ipso librario eadem illa curvata lineola, quam saepe ipse librarius nec minus saepe manus posterior superiori parti litterae *b* adiunxit, quae eam in *u* mutandam esse significaret. Itaque librarius ut XII 4, 13, cum scriberet nomen Eprii Marcelli, litterae a in fine versus lineolam dupliciter curvatam addidit, ut esset pro *r*, sic hoc loco eidem litterae eodem loco versus lineolam simpliciter curvatam adiunxit, ut esset pro *u.*

XIII 31, 12 *edixit Caesar, ne quis magistratus* etc. Haec verba quamvis simplicia esse videantur, quaestionem movent ut non gravem, ita satis difficilem. Nam in codice aperte scriptum est *etdixit*, quod ego nunc primus moneo. Inde exoritur quaestio, utrum *edixit* scribendum sit, quod adhuc omnes scripserunt, quoniam quid codex haberet nesciebatur, an *et edixit* (nam *et*

dixit Tacitum scripsisse nemo, ut opinor, coniciet). Ego cum multum quaesivissem multosque locos comparassem, *et edixit* praeferendum esse mihi persuasi. Nam Tacitus pauca illa, quae ei anno p. Chr. 57 digna memoria evenisse visa sunt, modice perstricta C. Plinii diligentia capitibus 31—33 ita enarravit, ut in initio poneret ea, quae ad rem publicam pertinerent, eisque adiungeret certorum quorundam hominum casus. Harum partium prior pertinet usque ad *penderent* 32, 4, atque in hoc confinio utriusque partis omni vinculo orationis abstinuit scriptor, reliquis locis omnibus eas res, quas memoriae prodidit, variis nexibus inter se copulavit (nam etiam initio capitis 33 continuus sermo est), excepto illo loco, de quo agimus, si vulgarem scripturam sequare. Haec causa est, cur *et edixit* praeferam. Res exemplis conficienda est. Libri XII cap. 22—24 seriem eorum, quae a. 49 gesta sunt, minorum quarundam rerum enarratione absolvit. Harum tres sunt partes atque in confiniis earum asyndeta, prius post *Bithynis*, posterius post *additi*; sed intra eas partes res coniunxit idque bis effecit eadem illa particula *et* (*et Calpurnia — et pomerium*), qua bis etiam eo in quo versamur loco usus est (*et edixit — et Pomponia Graecina*). Eadem vis huius particulae est II 36, 1 *et certamen Gallo adversus Caesarem exortum est.* III 37, 1 *et Considius Aequus.* 76, 1 *et Junia.* IV 13, 5 *et Vibius Serenus.* VI 40, 14 *et Aemilia Lepida.* XIII 28, 13 *et Helvidius Priscus*, cui loco J. Fr. Gronovius recte eandem particulam restituit; nam in codice est *eo*.

Sed de hac particula in initiis enuntiatorum posita disputanti mihi venit in mentem eorum, quibus Poppaea XIV 61, 24 Neronem adloquitur: *denique, si id rebus conducat, libens quam coactus acciret dominam* (scil. Octaviam) *vel consuleret securitati iusta ultione. Et modicis remediis primos motus consedisse: at si desperent uxorem Neronis fore Octaviam, illi maritum daturos.* Ibi *et* in initio enuntiati ferendum non esse primo aspectu intellegitur, quamquam et codex et editiones omnes punctum post *ultione* ponunt. Ergo delendum *et*? Non opinor, sed ita verba digerenda sunt: *vel consuleret securitati. Justa ultione et modicis remediis.* Justa enim ultione usus erat Nero ac modica remedia adhibuerat tum cum per emissos militum globos verberibus et intento ferro turbatos disiceret (v. 6).

Etiam tertio quodam loco *et* restituerem, nisi vererer, ne audaciae arguerer: XV 28, 17 *et viso Corbulone rex prior equo desiluit; nec cunctatus Corbulo, sed, pedes uterque, dexteras miscuere.* Ibi ultimum orationis membrum, in quo inest totius rei eventus, rectius reliquis duobus adiungi, quam posteriori eorum opponi mihi videtur. At in codice est *sed*, non *et*. Ceterum iniuria Nipperdeius *uterque* hoc loco cum plurali numero praedicati coniungi dicit. Quod cur dicam, ipsa distinctione vocabulorum supra significavi.

XIII 57, 18 Ritterus et Halmius scripserunt *inopia remediorum*. Nam in Mediceo esse *remedio* et Baiterus et Ritterus testantur. Auctoritatem Halmii, qui in commentario critico XIV 38, 15 *praelio* pro *proeliorum* in codice scriptum (idque verum est) comparat, secuti sunt recentiorum plerique, exceptis Nipperdeio et Muellero, qui *remedii* praetulerunt, quod habent codices deteriores. Ac recte illi quidem. Nam ne in Mediceo quidem est *remedio*, sed *remedii* eadem manu correctum ex *remedio*. Ex *o* enim ita factum est *i*, ut sinistrae parti *o* litterae imponeretur *i*, dextra autem pars parva lineola extrinsecus adiuncta (quam priores non viderunt) deleretur. Reddendum igitur Tacito *inopia remedii*. Omnino diligenter diiudicandum est, quae eadem manus, quae vir doctus aliquis posteriorum temporum deleverit addiderit mutaverit. Velut XIII 40, 14 Baiterus in Mediceo *addictum* scriptum et *ad ictum* coniectura a se effectum esse dicit. Idem posteriores,

nisi quod Ritterus in codice *ad iactum* ex *addictum* correctum esse affirmat. Sed qui accurate hunc locum inspexerit, intelleget librarium, cum scripsisset *addictum*, prius *d* addita superiori parti eius litterae tenui lineola delevisse atque ita effecisse *ad ictum*, mox et eandem illam litteram *d* manu posteriore crassiore linea, quae per totam litteram pertinet, sublatam et inter *i* et *c* suprascriptam esse *a*. Itaque *ad iactum* viro docto alicui, *ad ictum* ipsi librario, non Baitero debetur. — Idem librarius mihi signum *m* litterae, quod suprapositum est extremae litterae vocis *inclinatione* XIII 9, 13, lineola, de qua tacent priores, delevisse videtur. Inde efficitur ablativum *inclinatione quadam* esse retinendum ac male Ritterum scripsisse *recentem ob gloriam, et inclinationem quandam etiam hostium*; hoc quaeritur, utrum Weifsenbornius melius scripserit *per recentem gloriam* (vel *recentem ob gloriam* Ritterus) an *recentem gloria* Nipperdeius. Ego hoc praefero idque recte Nipperdeium ipsum, male Pfitznerum interpretatum esse censeo. — Etiam de eis quae XV, 69, 12 in codice leguntur: *calida aqua versa mersatur* parum accurata sunt priorum testimonia. *Versa* enim non solum tribus punctis subscriptis, sed etiam tribus lineis obliquis, quae per totam vocem pertinent, deletum est. Atque puncta posteriori alicui, lineae ipsi librario tribuendae mihi esse videbantur. Inde intellegitur, quanti sit Ritteri inventum illud: *calida aqua superfusa mersatur*. Unde autem ortum sit vocabulum illud quod qui scripsit idem delevit, me dicere opus non est. — Nec aliter iudico de eis, quae XIV 3, 12 scripta videmus: *et ne quis illi tanto facinori delectus iussa sperneret, metuebant*. Sic enim omnes, freti Baiteri et Ritteri testimoniis, quorum uterque in Mediceo *metuebant* se legisse testatur. Idque Nipperdeius, ut solet fere, si qua obscuriora sunt, eleganter ac subtiliter interpretatus est cum dixit verbi *metuebant* subiectum esse Neronem eosque quos consilio adhibuerat. Facile concedo quosdam a Nerone consilio esse adhibitos, at metuisse eos, ne, qui delectus esset, sperneret iussa, vix credo. Admonebant fortasse, metum iniciebant Neroni, non ipsi metuebant. At Nero metuebat. Id autem ipsum in codice *n* littera dupliciter deleta effectum est, quod fugit priores. Prior librarius ipse lineola litteram traiecit, postea subscriptum est punctum. — Difficilius est iudicare de eis, quae XIII 24, 2 leguntur: *fine anni statio cohortis adsidere ludis solita demovetur, quo maior species libertatis esset, utque miles theatrali licentiae non permixtus incorruptior ageret, et plebes daret experimentum, an amotis custodibus modestiam retineret*. Ibi *que* particulae *ut* adnexum in initio versus duabus lineis deletum est, idque sine dubio eadem manu, quae scripsit. Itaque scribendum est, ut videtur, *ut miles*. Sed quia nec intellego, ecquid deleto *que* melior fiat sententia, nec video, quo errore illa particula in textum irrepsisse credi possit, hanc rem aliis deliberandam relinquo: quod in codice repperi, dissimulandum non putavi. — Etiam XIII 28, 3, ubi haec leguntur: *quod immodestos fautores histrionum et a praetore in vincla ductos tribunus omitti iussisset*, ita tamen, ut *et* subscripto puncto deletum sit, pro certo nihil adfirmo, quoniam et incertum est, a quo punctum positum sit, et particulam illam cum Taciti genere dicendi bene convenire fateor (cf. Nipp. ad I 55. III 61 ac maxime Germ. 34 *ambiunt immensos insuper lacus et Romanis classibus navigatos*). Etsi quis, si abesset, desideraret? — At XIV 22, 1 *Inter quae et sidus cometes effulsit* idem illud *et* ab ipso librario deletum esse mihi videbatur; obliqua enim lineola, ut fere solet, usus est. Tacitus igitur scripsit, ut videtur: *Inter quae sidus cometes effulsit*. — Sed ut pleraque eorum, quae modo exposui, iis qui haec legent, deliberanda reliqui, nihil pro certo ipse adfirmans, ita eum quoque locum, de quo nunc dicturus sum, eosdem hortor ut secum retractent. Nam Subrium Flavum, tribunum praetoriae cohortis, unum ex coniuratis illis, qui Neronis occidendi consilium ceperant, Tacitus

XV 50, 20, tempore ac loco caedis nondum constituto, cepisse impetum dicit Neronem aut in scaena canentem aut per noctem huc illuc cursantem adgrediendi. *Hic*, inquit, *occasio solitudinis, ibi ipsa frequentia tanti decoris testis pulcherrima animum extimulaverant, nisi inpunitatis cupido retinuisset, magnis semper conatibus adversa.* In his mihi displicet *inpunitatis* commemoratio. Eius enim cupiditate ei incendi solent, qui aliquod facinus commiserunt (qua saepe cupiditate impelluntur, ut conscios edant, velut Lucanus Quintianusque et Senecio promissa inpunitate corrupti sunt: XV 56, 13), non qui commissuri sunt. Itaque tum cum de caede agitaretur, inpunitatis cupido potuit Subrium Flavum impellere, ut conscios ederet, non potuit eum prohibere, quominus caedem perpetraret. Quid igitur eum retinuit? Non spes inpunitatis, sed nimia vivendi cupiditas. Illa fidem corrumpit, si qui deprehensi sunt, et prodere socios cogit, haec magnis semper conatibus adversa est, haec plerumque magnos animos infringit (H. V 26, 2). Vitae igitur sive salutis sive *incolumitatis cupido* Subrium Flavum retinuit. Itaque hoc ut Tacitum scripsisse credamus, sententia magnopere suadet; at in libro Mediceo hic parum auxilii est. Vocabuli *Inpunitatis* tres primae syllabae macula obrutae ac tamen ita ab ipso librario scriptae sunt, ut nulla littera dubia sit. Sed inter *u* et *t* vacuum spatium est, in medio spatio hasta apparet, supra spatium scriptum est *ni*. Atque in initio vocabuli ante *I* apparet vel *c* vel litterae *o* sinistra pars; postremo in margine librarius ipse adscripsit *puni* atque harum litterarum duas priores linea traiecit. His ecquid augeatur dubitatio illa, quam sententia movet, non diiudico: viderint alii, utrum acrius quam par est, sententiae institisse ac Tacitum ipsum correxisse an quod huic loco accommodatum est, repperisse atque ipsius codicis quoque qualicumque indicio adiuvari videar.

Sed ut prioris quoque Medicei uno saltem exemplo doceam, quanti sint faciendae eiusdem manus correctiones, hunc locum adfero: IV 37, 14 *omnes per provincias effigie numinum sacrari.* Sic Nipperdeius ac reliqui omnes, quos consului, editores. De codice recte Baiterus: „*per omnes per provincias* pr. M., *per omnes provincias* corr. M.“, nam posteriore loco *per* binis punctis supra et infra positis, quae mihi videbantur ab ipso librario posita esse, deletum est, quod referre Ritterus supersedit. Codicis igitur testimonium suadet, ut redeamus ad veterem scripturam *per omnes provincias.* At enim Baiterus solitum apud Tacitum verborum ordinem dicit hunc esse: *omnes per provincias.* Errat vir doctissimus. Scripsit enim Tacitus, ut ea exempla omittam, quibus aliquid interpositum est, D. 9, 15 *per omnes dies*, Ann. I 73, 6 *per omnes domos*, VI 25, 14 et XII 22, 7 *per omnes annos*, XIV 64, 8 *per omnes artus.* Adde G. 19, 6 *per omnem vicum*, Agr. 43, 7 *per omnem valetudinem eius*, H. III 25, 20 *per omnem aciem*, IV 26, 4 *per omnem ripam*, V 9, 17 *per omnem saevitiam ac libidinem.* Huic constanti usui contrarius est hic unus locus: Ann. I 3, 16 *omnisque per exercitus ostentatur*, qui suam habet rationem. Atque eadem lege tenentur praepositiones *in, ad, pro, cum, ex, de,* nisi quod Ann. IV 40, 20 *omnibusque de rebus* scriptum est, qui locus illi, qui est Ann. I 3, 16, simillimus est. Itaque et libri Medicei auctoritas et scriptoris consuetudo, quam in contrarium convertit Baiterus, reponi iubet *per omnes provincias.* Quo exemplo monemur apud Tacitum quoque saepe, quod sit simplicissimum ac vulgarissimum, id esse maxime probabile.

XIV 60, 14 Ritterus (hunc secutus est Pfitznerus) scripsit: *cui minor sapientia, ex mediocritate fortunae pauciora pericula sunt.* Haec enim in codice invenerat eademque ante eum Baiterus. Is autem ac praeter eum recentiorum plerique Puteolani coniecturam probaverunt, qui *et* ante *ex* inseruit. Atque ille quidem sine dubio manum scriptoris restituit, quod ipsa res

ostendit; nam asyndeton ferri non potest. Verum codex quoque vestigium quoddam genuinae scripturae retinet. Neque enim simpliciter *ex* scriptum est in Mediceo, sed *et* in *ex* eadem manu ita correctum, ut eodem signo duo illa vocabula coniuncta contineantur. Nempe librarius, cum *et* scripsisset, viso in exemplari suo vocabulo *ex*, quod deinceps scribendum erat, similitudine duorum vocabulorum inductus est, ut alterum pro altero se posuisse crederet, cum utrumque scribendum esset. — Atque etiam de eis, quae codex habet XIV 39, 12, accuratiora dicenda sunt, quam quae dixerunt priores. Hi enim in Mediceo haec se legisse referunt: *quod post paucas naves . . . amiserat*, nec dicunt vocabuli *post* duas extremas litteras positas esse in rasura atque manu posteriore exaratas, illam autem rasuram etiam longius pertinere nec spatium versus (is enim hoc loco terminatur) totum esse expletum. His indiciis augetur probabilitas coniecturae Halmii, qui *post* in *postea* mutari iussit. Scilicet illud iure ei displicebat, quia speciem habet praepositionis eosque qui legunt errore implicat. Nam dissimilia sunt quae Ritterus comparat XV 24, 6 *nuper clausum Tigranen; post Paetum legiones, cum opprimere posset, incolumes dimisisse*; ibi enim vocabulo *nuper*, quod antecedit, praemoniti statim intellegimus, quae sit natura vocabuli *post*. — Non multo post (XIV 44,5) haec scripsit Tacitus: *sane consilium occultavit*. B. et R. in libro Mediceo *occul uit* scriptum et spatio vacuo manu recentiore *ta* inlatum esse recte dicunt. Hoc supplemento manum Taciti restitutam esse Nipperdeius inde collegit, quod verbi occulendi duo tantum tempora, praesens et imperfectum, apud Tacitum extant. Huic argumento iam addo alterum ex ipso codice depromptum. Vacuum enim spatium illud positum est in macula, quod olim litteris expletum fuisse inde intellegitur, quod in eadem macula in eo versu qui sequitur sine intermissione scriptum est *excubias*. Ritterum igitur, qui *occuluit* scripsit, non modo Taciti genus dicendi, sed etiam codex ipse confutat.

XV 6, 8 *an melius hibernavisse in extrema Cappadocia — quam in sede regni modo retenti*? Temere Ritterus *obtenti*; in Mediceo autem scriptum esse dicit *contenti*, suprascripta primae syllabae „vetere manu" syllaba *re*. Recte Baiterus hanc syllabam ab ipso librario adiectam esse affirmat. Unde Tacitum *retenti* scripsisse certum est. Quid quod *c* litterae adiuncta est ab inferiore parte tenuis lineola eademque satis longa? Qua mihi videtur librarius significasse syllabam *con* esse tollendam. Quamquam quo errore inductus sit, ut *con* scriberet, nescio, qui ne id quidem sciam, quid sibi valeat virgula satis crassa supra *c* litteram (ante *re*) posita, nisi forte novo errore pro *con* scripsisse *conon* (nam *c̄* est *con*) existimandus est. Set utut id est, certe quod deliquerat, ipse correxit.

XV 63, 3 sic Halmius ac recentiorum plerique: *rogat oratque temperaret dolori neu aeternum susciperet*, quod coniecit Heinsius. At J. Fr. Gronovius et Baiterus et Nipperdeius *temperaret dolorem aeternum suscipere*. Utrum melius sit, nunc diiudicari potest. Fugit enim Baiterum et Ritterum, non simpliciter *dolorem* scriptum esse in Mediceo, sed *doloriem*, ita coniunctis inter se litteris *i* et *e*, ut possit quaeri, scripseritne librarius *doloriem* an vel *dolori* ex *dolorem* vel *dolorem* ex *dolori* correxerit. Illud mihi probabilius esse videbatur. Itaque iam dubium non est, quin recte Heinsius dativum restituerit, nec minus certum ex syllaba *em* faciendum esse *neu*.

XVI 9, 8 quin scribendum sit *sed non remittere percussori gloriam ministerii*, hodie nemo dubitat (nam pronomine *se*, quod, ut multis aliis locis, ita hic quoque Ritterus ante *remittere* inseruit, opus non est). Sed quid in codice scriptum sit, adhuc nescimus, ambigui, utrum Baitero an Rittero credamus. Ille enim *peremittere* (*per* compendio scriptum) legit, hic „*peremittere* pr.,

remittere corr." Neuter vere, quamquam longius a vero aberravit Ritterus, cum corrigendo *remittere* effectum esse diceret; simplex enim est codicis scriptura neque quidquam correctum. Scriptum autem est non *peremittere*, sed *percemittere*, ita tamen, ut *c* litterae inferior tantum pars extet. Huius scripturae non aliam explicationem inveni, quam ut librarium, cum *non* scripsisset, omisso per errorem verbo *remittere* scribere *percussori* coepisse conicerem et perspecto errore cum in media *c* littera substitisset, adscripsisse verbum illud, ita tamen, ut et verbo primam litteram detraheret et quod per errorem scripserat, relinqueret. Haec origo scripturae codicis quamvis incredibilis esse videatur, aliquid tamen commendationis ex similitudine eius erroris trahit, quo Medicei primi scriptura VI 44, 19 depravata est. Ibi enim B. et R. pro *in castra* scriptum esse *in irastra* dicunt. At nullum est *r* post *i*, sed coepta *n* littera. Nimirum librarius, cum per errorem *in* iterum scribere coepisset, in media *n* littera substitit, quae iterum scripserat, non delevit, vocabulum *castra* prima littera orbatum adscripsit.

XVI 15, 5 sunt qui *ingenti corpore* scribant, alii *ingenti corporis robore*, rursus alii *ingenti vi corporis* maluerunt; Ritterus *ingens corporis*, Pfitznerus *ingenti robore corporis* scripsit. Mediceum habere *ingenti corporis corporis* consensu referunt ita ut prior genetivus in fine versus positus sit. Ac recte, nisi quod nemo dixit primum: priorem illum genetivum erasum esse, ita tamen ut omnes litterae, etsi pallent, appareant, deinde: in fine eius ipsius vocabuli lineola deletam esse *s* litteram ac supra *i* scriptum esse *e*, quod quidem non minus pallet, quam reliquae litterae. His vestigiis fretus *ingenti corpore* restituendum esse pro certo haberem — nam Tacitus ut H. I 53, 2. Ann. XIII 8, 17. XV 53, 7 *corpore ingens* scripsit, quidni scripserit etiam *ingenti corpore*, sicut non solum *corpore validus* H. I 57, 10. Ann. III 32, 3 et *invalidus corpore* H. IV 24, 5, sed etiam *corpore valido* Ann. VI 21, 3 scripsit? — nisi mirum esset quod librarius illam correctionem ei potius vocabulo imposuit quod mox delevit quam ei quod reliquit. Ac tamen haec difficultas minor est, quam qua implicabimur, si ea quae in codice sunt ex verbis *ingenti robore corporis*, ut est apud Pfitznerum, depravata esse coniecerimus (coll. Ann. I 3, 20. XV 66, 9); reliqua editorum inventa a codicis vestigiis etiam longius discedunt.

XVI 22, 16 *prosperas principis res spernit.* Sic vulgo; *respernit*, non *res spernit* in libro Mediceo scriptum esse B. et R. viderunt; *prospera*, non *prosperas* scriptum esse non viderunt. Atque credibilius esse scripsisse Tacitum *prospera principis*, quam *prosperas principis res* exempla docent. Nam ut nullo adiuncto genetivo, ut nihil dicam de ceteris casibus, etiam nominativos et accusativos hos posuit: *secundae, prosperae, adversae res*, *res adversae*, *adversas res* (Agr. 32, 4. H. I 15, 20. 2, 4. IV, 37, 5. Ann. XI 32, 7. H. I 29, 14), ita adiuncto genetivo, ubi aut nominativo aut accusativo opus erat, nuda adiectiva constanter praetulit. Itaque ut H. II 97, 7 *prosperis Vitellii rebus* et Ann. XV 29, 4 *non adversis Parthorum rebus*, ita H. II, 64, 13 *domus suae tantum adversa sensit*, Ann. I 1, 8 *veteris populi Romani prospera vel adversa*, III 24, 1 *inlustrium domuum adversa*, XIV 38, 16 *Suetonio, cuius adversa pravitati ipsius, prospera ad fortunam referebat* scripsit, quibus exemplis accedunt haec: Agr. 25, 9 *tempestatum ac fluctuum adversa*, H. I 89, 8 *pacis adversa*, Ann. II 26, 2 *adversa maris*, 69, 16 *valetudinis adversa* et H. IV 52, 8 *principibus, quorum prosperis et alii fruantur, adversa ad iunctissimos pertineant*, Ann. XII 14, 20 *nulla huic prospera aut adversa*. Hinc illo quoque loco Tacitum *prospera principis* scripsisse paene certum est. Sed quid verbo illo *respernit* fiet? Num audacter tollenda prima syllaba? Non tollenda, sed in vicinum locum transferenda. Tertio enim versu post librarius scripsit *spernit legiones*, cum deberet

spernit religiones. Fortasse *re* illud, cum per errorem omissum et in margine adscriptum esset, in falsum locum delatum est. Librarius enim duplici illo *spernit* (et utrumque verbum in libro Mediceo eodem versus loco positum est) deceptus est. Sed haec coniectura ne mihi ipsi quidem satis placet (caret enim simplicitate et habet aliquid praestigiatorum artibus simile), praesertim cum contrario vitio in Mediceo primo III 43, 7 *religionariis* scriptum sit pro *legionariis;* hoc dico: *prospera* esse tenendum.

XVI 34, 3 editores alii *coetus frequentes*, alii *coetum frequentem* scribunt; in Mediceo enim *caetus frequentem* esse dicunt. Parum accurate id quidem. Nam librarius cum scripsisset *frequenter egerat.* idque ita, ut syllabam *ter* littera *t* supraposita linea, ut plerumque, significaret ac vacuum spatium inter utrumque vocabulum relinqueret, mox (inspecto, ut videtur, diligentius exemplari suo) lineam illam supra *t* positam virgula traiectam delevit et in vacuo spatio illo *e* cum signo *m* litterae posuit. Ergo *frequenter* mutavit in *frequentem*. Itaque quoniam *frequentem* eadem manus correctione restituit, hoc tenere et *caetus* pro *coetum* prave scriptum esse existimare satius est quam in ipsam correctionem vitium inrepsisse et *caetus* (vel *coetus*) recte scriptum esse credere. Atque etiam sententia ipsa singularem numerum commendat; quippe unius diei coetus significatur; nec opus est Nipperdei explicatione, qui plurali numero varios circulos significari dicit, in quos coetus ille discedebat.

Sequuntur pauci loci, qui quomodo conformandi sint, incertum fere est, quomodo in Mediceo libri scripti essent, adhuc nesciebatur. XII 38, 10 Baiterus *nuntiis et castellis* legisse se affirmat; ex Ritteri silentio non *et*, sed *ex* in codice scriptum esse conicias. Vera Baiterus rettulit, unde oritur dubitatio, an in vocabulo *nuntiis* vitii aliquid lateat, id quod Faernus censuit. Hoc quoque dubitari potest sitne recte scriptum *copiarum obsidioni*, quae verba si abessent nemo requireret, an *copiarum obsidione* (sic enim Mediceus) possit ita ferri ut coniungatur cum *obcubuissent*: 'so wären sie durch die Blokade ihrer Vorräte zu Grunde gegangen'. — XII 68, 3 uterque priorum *dum res forent firmando* in Mediceo legit. Falso; nam habet codex *dumque res forent firmando*. In vocabulo *res* litteram *s* librarius, id quod saepe in eis vocabulis fecit, quae in hanc litteram desinunt, *e* litterae superiori parti adiunxit; male igitur Halmius *re* in *res* correctum esse dicit in apparatu critico. *Forent* Ritterus recte dicit punctis subscriptis notatum esse manu posteriore. Eadem manus in margine adscripsit *d*, quod quo pertineat, nescio, nisi forte verbum delendi significat. Itaque videtur scripsisse Tacitus: *dum quae res forent firmando imperio Neronis componuntur.* Quamquam ne nunc quidem haec magis mihi placent quam olim placuerunt, cum conicerem *dum reliqua firmando* et in textu editionis Nipperdeianae ponerem. — XIII 1, 12 B. et R. in fine vocabuli *inpositi* unam litteram erasam esse dicunt. Non una, sed duae; nec dubia sunt utriusque litterae vestigia. Nam ante correctionem scriptum fuit *impositus*, id quod in textu posuit Ritterus, ex coniectura scilicet. Ex littera *u* enim non solum prior hasta superest, cuius inferiore parte producta effectum est *j*, sed etiam ea pars, qua priori posterior hasta adnexa fuit, ex littera *s*, quae superiori parti *u* litterae adiuncta fuit, superior pars. Quis correxerit, non prorsus certum est, sed mihi potius librarius ipse correxisse videbatur, quam manus posterior. Itaque *inpositi* recte, ut videtur, scribitur, nec vero quidquam obstat, quominus equitem Romanum una cum liberto rei familiari principis in Asia inpositum fuisse credamus. — XIII 5, 6 uterque in libro Mediceo legit *assaret*. At scriptum est *asstiret*. Unde existit dubitatio, utrum *astaret* scribendum sit, quod cum in ipso codice manu posteriore suprascriptum esset, omnes editiones occupavit, an *assisteret*, quo verbo Tacitus in simili sententia

usus est IV 69, 3 *si pone fores adsisterent;* nec tamen ei qui in vulgata lectione acquieverit, non defuturum ignoro, quo eam tueatur. — XIII 17, 8 *illusum isse pueritiae Britannici.* In libro Mediceo est *pueritia,* quod nemo adhuc rettulit. Quare quaesiverit aliquis, sitne scribendum *pueritiae* an *pueritiam,* quoniam Tacitus modo dativum modo accusativum verbo inludendi adiunxit. Ego tamen nihil novandum esse crediderim, quoniam Tacitus XV 72, 15 loco simillimo — nam ibi quoque stuprum significat — dativo usus est. XIV 54, 8 in Mediceo scriptum est non, ut ait Ritterus, *iuuenere,* sed *iuuere,* ut est apud Baiterum (ex altero *u* eadem manus effecit *b*), nec *aministrari,* ut est apud utrumque, sed *amininistrari.* Inter *iuuere* et *procuratores* supra versum manus recentior, ut videtur, addidit *per.* Ego utrum *iube rem per procuratores tuos administrari* an *iube per procuratores tuos administrari* a Tacito scriptum esse dicam, dubito; nam cum antea scripsisset *opes meas,* hoc loco idem obiectum novo vocabulo significare non utique opus erat. — De eis quae XV 40, 4 leguntur, vera rettulerunt B. et R.; hoc tamen addendum: in vocabulo *lebis* *u* supra *b* posuit m. posterior, in vacuo spatio, quod sequitur, reliquiae sunt, quae mihi videbantur habere speciem initii litterae *p* (neque ulla ibi rasura est). Utrumque favet Madvigii emendationi, quae ea quae Mediceus praebet, paene integra reddit: *necdum positus* (vel *demptus*) *metus aut redierat plebi spes: rursum grassatus ignis,* in qua hoc unum submolestum est, quod duo illa sententiae membra, quae M. effecit, non satis inter se differunt. — XV 51, 16 Med. non habet *neque senatui quid manere,* ut Ritterus affirmat, sed *neque senatui quod manere,* id quod Baiterus dicit. Sed hunc locum qui probabiliter corrigeret aut expleret, nondum inventus est.

Nonnullis locis adhuc omissa sunt, quae in margine alterius Medicei eadem manus adscripsit, etsi dubium non est, quin emendandi causa adscripta sint. XIV 58, 5 bene scribitur *clari atque insontes si interficerentur.* Ibi *si* hoc loco a Bezzenbergero (ante *clari* ab Ernestio) insertum, in Mediceo omissum esse priores dicunt. Et omissum est in ipso textu, adscriptum eadem manu in margine nec tamen indicatum, quo loco esset inserendum. Hoc repperit Bezzenbergerus. XV 53, 18 librarius in textu scripsit *aut Inane. aut spem* et in margine adscripsit *ah ad* litterasque *ah,* quas falso se adscripsisse intellexerat, duabus lineolis delevit. Sic codex ipse Pichenae emendationem iam pridem omnibus probatam *aut inanem ad spem* confirmat. XIII 34, 11 in textu librarius posuit *tyridatem* (non *tiridatem,* ut aiunt B. et R.), at in margine adscripsit *ti.* XIV 15, 18 in textu est *august tanorum.* Nipperdeius recte *Augustianorum.* Id ipsum librarius mihi videtur indicasse adscripto in margine *si,* quod debebat esse aut *sti* aut *ti.* XII 40, 6 haec scripta sunt in codice: *ut maior laus compositi. vel si duravissent venia iustior tribueretur.* Halmius Jac. Gronovii exemplum secutus *compositi* tuetur eique assentiuntur Muellerus et Pfitznerus; alii Lipsii emendationem, qui *compositis* scripsit probant. Id bene interpretatus est Nipperdeius. Hanc dissensionem dirimit codex ipse, in cuius margine huic versui eadem manus adscripsit *set,* quod in locum particulae *vel* substituendum erit. Sic haec exoritur scriptura: *ut maior laus compositis et, si duravissent, venia iustior tribueretur.* Verum igitur, sicut saepe, ita hoc quoque loco vidit Lipsius, quantum videre potuit; nam *vel* illud nihil habet quod displiceat, ea enim particula Tacitus in simili sententia utitur XIV 23, 3 *Tigranocerta, quibus excisis metum hostium intenderet vel, si pepercisset, clementiae famam adipisceretur.*

Multis saepe vocabulis in Mediceo altero perperam in fine adnexa est *s* littera. XIII 32, 1 scriptum est *securitatis,* 43, 18 *adeptis,* 51, 1 *publicis,* XIV 61, 20 *egyptiis,* XV 10, 20 *subsidiis,* 46, 8 *saevientes,* 63, 13 *effugias,* 64, 5 *promptus* (quod addito compendio *m* litterae correctum est

in *promptum*). XVI 1, 1 *Neronis*, 14, 16 *incolumitatis*, 22, 22 *Institutas*, 32, 6 *Interiectis*. Horum errorum pars inde orta est, quod id vocabulum, quod proxime sequitur, ab *s* littera incipit, reliquorum origo incertior est. Sed neuter eorum, qui ante me Mediceos codices contulerunt, his locis omnibus *s* litteram deletam esse dixit, plerumque una lineola obliqua, semel (XIII 43, 18) duabus. Quaeras, quis deleverit. Id librarium quinque eis locis, quos ultimos posui, ipsum fecisse certum mihi esse videbatur, eundem reliquos quoque correxisse veri simile est. Itaque hinc quoque Mediceum alterum vera fidelius retinuisse perspicitur, quam vulgo opinantur. Idem declarant quinque alii huius modi loci, de quibus separatim agendum est. XV 28, 13 in omnibus editionibus sic legitur: *Vinicianus Annius, gener Corbulonis, nondum senatoria aetate, set pro legato quintae legioni impositus.* Nam Ritterus in Mediceo *aetates et* scriptum esse dicit. At *s* deletum esse non dicit. Ac iure deletum esse eamque correctionem ipsi librario deberi inde perspicitur, quod verba *pro legato quintae legioni impositus* non possunt opponi verbis *nondum senatoria aetate*, quoniam Vinicianus Annius non *quamquam*, sed *propterea quod* nondum senatoria aetate erat, pro legato legioni impositus est. Itaque *set* ita tantum stare posset, si abessent verba *pro legato*. Inde apparet unice verum esse *et*, quod corrigendo in codice effectum est. Idque idem valet, quod *et ob eam rem* vel *eoque*. Huius creberrimi usus duo exempla adferre satis erit: Ann. I 66, 4 *ruerent ad portas, quarum decumana maxime petebatur, aversa hosti et fugientibus tutior*. H. IV 40, 14 *damnatusque Publius et Sorani manibus satis factum*. Alter locus legitur XV 49, 15, ubi omnes sic ediderunt: *Quintianus mollitia corporis infamis et a Nerone probroso carmine diffamatus contumelias ultum ibat*. B. et R. pro *ultum* in Mediceo scriptum esse *multum* recte adnotant, sed in ea voce, quae praecedit, *s* duabus lineolis deletum esse non dicunt. Itaque librarius (is enim quin *s* deleverit, non dubito) ex *contumelias multum* effecit *contumelia multum*, i. e. *contumeliam ultum*. Similiter in priore Mediceo scriptum est II 8, 15 *perfidia multus est*. Nec quidquam est, quod in singulari numero displiceat. Nam probroso illo Neronis carmine, etsi copia vocum contumeliosarum inerat, una continebatur Quintiani contumelia. Tertio loco vulgo, idque recte, sic legitur XIV 29, 15: *sic pedes; equites vado secuti aut altiores inter undas adnantes equis tramisere*. Ibi *vados* in codice scriptum esse iam pridem constitit, at ultimam litteram deletam esse nemo adhuc dixit. Itaque nihil opus est aut Nipperdei, qui *vadosa* scripsit, aut Jo. Fr. Gronovii coniectura, qui *vada* proposuit (hunc secuti sunt Halmius, Muellerus, Prammerus). Nec video, cur vulgatam lectionem eis quae secuntur accommodatam esse Nipperdeius neget. Sed id refutare non opus, quoniam rem expediisse mihi videtur Pfitznerus. Quartum exemplum hoc est: XV 17, 11 *At vologeses ad corbulone missi nuntii*. Sic Mediceus, nisi quod secundi vocabuli extrema littera deleta est. Inde apparet probabilius scribi *At Vologesi* (ut XV 14, 5 *missi posthac Paeto nuntii*) quam quod nunc scribi solet *At Vologesis*. Restat quintus locus. XVI 13, 14 sic edi solet: *supplendis Illyricis legionibus*. Falso; nam medii vocabuli extrema littera deleta est idque eadem manu factum esse quae exaravit ipse adspectus docet. Quid quod haec littera, cum satis longo intervallo a vocabulo *Illirici* separata sit, potest videri inde nata esse, quod librarius per errorem *supplendis* repetiturus fuit? Verum igitur vidit Puteolanus, cum coniceret *Illyrici legionibus*, quam coniecturam recepit Ritterus. Legitur enim apud Tacitum *Pannonicae, Moesicae, Germanicae, Suriacae, Britannicae legiones*, atque etiam *inferioris Germaniae, superioris Germaniae, Delmatiae, Pannoniae, Moesiae, Suriae, Orientis, eiusdem provinciae legiones*; praeterea II 74, 7 *Illyrici legiones*, at nusquam *Illyricae legiones* (quamquam *Illyricos ad exercitus*

scriptum est H. III 7). Hoc igitur quoniam sciebat Puteolanus, ad illius Historiarum loci similitudinem locum Annalium conformavit idque recte eum fecisse iam ipsa codicis scriptura confirmat.

His locis *s* litteram detraximus; nunc venio ad contraria. XV 23, 7 sic editur: *et additae supplicationes templumque Fecunditati et certamen ad exemplar Actiacae religionis decretum.* Adnotant editores hoc uno loco commemorari deam Fecunditatem. Quid si ne hic quidem? Nam in libro Mediceo est *fecunditatis*, quod non animadverterunt priores propter pallorem, qua maxima pars extremae litterae obducta est. Sed mihi hunc locum acriter inspicienti illa littera vetustate potius palluisse quam manu erasa esse videbatur. Itaque Tacitum *fecunditatis* scripsisse censeo. Iam fecunditas desinit esse dea; nam *templum fecunditatis* similiter dicitur ac I 14, 7 *aram adoptionis*, IV 74, 6 *aram clementiae*, *aram amicitiae* atque etiam III 18, 8 *aram ultionis* (sic bene Halmius, ut videtur; Med. *ultioni*, quod tuetur Nipperdeius), ubi nemo *Adoptionis*, *Clementiae*, *Amicitiae*, *Ultionis* scribi iussit. Nec vero, cum honores Poppaeae ob puerperium quaererentur, par fuit deae Fecunditati potius decerni templum quam quo memoria fecunditatis Poppaeae retineretur. Ea est enim vis genetivi. Scribendum igitur *fecunditatis*, non *Fecunditati*; hoc dubium est, utrum post *supplicationes* an post *fecunditatis* interpungendum sit, nec multum refert.

Ceterum quoniam semel in hunc locum incidi, fidei codicum Mediceorum propugnatori mihi haud absurdum videtur memorare in codice scriptum esse *actiace*, ita tamen, ut posterius *a* ab ipso librario ex *e* correctum sit, quod scripserat, quia exitum vocabuli per errorem praesumebat. Hoc viderat Baiterus; sed idem suum ipse inventum depravavit, cum „*actiace* vel *actiecce*“ scriptum esse adnotaret. Multo etiam peius Ritterus, qui apposito „*sic*“ illo, quod hoc quoque loco temere addidit, *actierce* scriptum esse testatur, oblitus, *r* litterae in hoc codice diversissimam esse figuram. Nec minus falso uterque XIV 63, 4 *Pandecteria* codicem habere dicit; habet enim *Pandateria*, secunda *a* littera ex *e* correcta additaque insuper ab ipso librario hasta, qua superior pars *e* litterae, quae ex correctione supererat, deleretur. Plane eodem modo librarius XII 47, 22 *multa* correxit ex *multe*, 52, 6 *trahebat* ex *trehebat*, XIII 12, 4 *familia* ex *familie*, 57, 11 *sacravere* ex *sacrevere*, XIV 59, 7 *constantiā* ex *constantię*, XV 28, 13 *senatoria* ex *senetoria* (addita lineola, qua deleretur superior pars *e* litterae), XVI 6, 9 *aliaque* ex *alieque*. De his locis omnibus tacent B. et R., qui si *Actiecce* vel *Actierce* et *Pandecteria* legere sibi visi erant, quidni etiam *multec* (vel *multer*), *trechebat* ac reliqua similia invenisse se testati sunt? Nam eadem omnibus locis correctionis figura est, idem aspectus. Sed reliqua est una eiusdem generis correctio; XIV 31, 17 enim legitur in codice *ara* correctum ex *arę* eadem manu, quae etiam superiorem partem *e* litterae duabus lineolis delevit. B. et R. correctione non *ara*, sed *arx* effectum esse dicunt. Ego ut non reperio, quomodo aut id, quod in codice est, a Tacito scriptum esse doceam (an alius quisquam docebit?) aut *arx* recte scribi negem, ita *ara* ex *arę* correctum neque quicquam *x* litterae simile in Mediceo inveniri pro certo affirmo. — Contrariae quoque correctionis aliquot exempla sunt, quae et ipsa silentio praetermittunt priores: XIII 21, 6 *ferocie* ex *ferocia*, XV 6, 9 *meritę* ex *merita*, 43,6 *areas* ex *araas* eadem manu correctum. XIV 63, 1 eadem manus *socianda* suprascripta *e* littera mutavit in *sociande*, quod neglectum est a B. et R., qui ne id quidem dicunt, XVI 33, 6 scriptum esse in Mediceo *helvidius ępaconius*, qua re dubitare cogimur, sitne scribendum *Helvidius ac Paconius*.

Sed ut XV 23, 7 *s* litteram tutati sumus revocando genetivum *fecunditatis*, ita eandem litteram XV 59, 24 retinere licebit. Ibi enim vulgata scriptura cum Mediceo consentiens haec

est: *nomen mulieris Atria Galla, priori marito Domitius Silus.* Dativo utroque loco opus esse Acidalius mihi persuasit, nam in talibus enuntiatis genetivus numquam invenitur (nisi forte XIV 4 *villae* et XVI 30 *puellae* genetivos esse credimus) excepta suspecta illa parenthesi *donativi nomen est* H. III 50. At non est scribendum *mulieri Atria* (nec *mulieris Arria*, quod Beroaldus propter raram gentis Atriae memoriam coniecit, de qua re v. Baiterum), sed *mulieri Satria. Satrii* enim saepissime in titulis commemorantur, ac Tacitus IV 34 *Satrium Secundum*, Seiani clientem, et bis deinceps nominat. Et quinque versibus post (XV 60, 4) Mediceus habet *manus tatii* pro *manu Statii*, ut hoc loco *mulieris Atria* pro *mulieri Satria.* Etiam *Statio Proxumo* XV 50, 11 et 71, 9 reddendum est suum nomen. Baiterus Mediceum secutus priore loco *Proximus*, posteriore *Proxumus* scribit, et sic Nipperdeius. Reliqui editores Rittero crediderunt, cuius silentium testari videbatur utroque loco *Proximus* in codice scriptum esse. Ego suadeo, ut utroque loco *Proxumus* scribatur, quam formam posteriore loco Mediceus confirmat.

Sed ut supra in fine vocabulorum a librario Medicei alterius *s* litteram plus semel male adiectam ac mox ab eodem deletam esse demonstravi, ita etiam aliarum litterarum finalium simillima exempla sunt, quae hoc loco colligo propterea quod priores correctiones silentio praetermittunt. Atque ut incipiam a littera *m*, hanc librarius lineola (vel duabus lineolis) recte delevit in vocabulis *consensum* XIII 4, 2, *adulationem* XIV 29, 7, *sententiam* 49, 15, *vitam* XV 11, 14, *carissimam* 57, 13, *coniurationem* XVI 15, 6, *captivitatem* 16, 10. *T* litteram finalem librarius recte delevit in verbis *coniuncxit* XIII 9, 20 (quid igitur Rhenanus commemoratur?), *rueret* et *abnueret* XIII 14, 8. 12 (in *rueret t* radendo deletum est), *ieret* XIV 49, 3, *statuit* 49, 10, *instaret* 62, 11, *vitaret* — *adesset* — *introisset* XVI 22, 1. 3. 7, *dedit* 31, 8.

Recte scriptum est in altero Mediceo XI 11, 15 *haudquaquam*, non *haud quamquam*, ut ait Ritterus, XII 31, 1 *propraetore* (R. *prae praetore*), 35, 17 *carataci* (R. *carattaci*), 42, 4 *ambitu* (R. *abitu; ambitu* suprascripsit is qui in his capitibus omnia vocabula supra versum repetivit), 61, 1 *dein de inmunitate cois* (R. *de inde inmuniate te cois*), XIV 18, 9 *iudicem* (R. *indicem*), XV 59, 8 *paelicibus* (R. *pelicibus*), XVI 9, 6 *caedem* (R. *caede*). Haec omnia excepto tertio et ultimo loco recte Baiterus legerat. Alia rectius in codice scripta sunt, quam Ritterus scripta esse adfirmat. XI 18, 1 pro *nulla* scriptum est *nulia*, non *milia*, 28, 9 *devinctu*, non *devincti*, 30, 6 *Vetticis*, non *Veticis*, XII 15, 10. 16, 2 *adorsorum* et *adorsi* (at 19, 3 *advorsorum*), non *advorsorum* aut *advorsi*, XII 36, 14 *cataratacus*, non *carataratacus*, ut ait R., addito „sic", 52, 3 *adnectabatur*, quod ipse ut videtur, correxit expuncto priore *a* et superposito *e*, non *adnectabantur*, XV 56, 8 *oprimendum* (nam *p* litterae suprascriptum est *ri*, non *i*), 71, 24 *aegei*, non *egei*, XVI 5, 2 pro *longinquas* non simpliciter *lonquas*, sed ita ut *q* ex *g* eadem manu correctum sit, omissa scilicet syllaba, quae scribi coepta erat, 10, 2 pro *Pollitta*, quod Nipperdeius repperit, *Poliitia*, non *Polutia*. Haec quoque recte Baiterus exceptis primo et tribus ultimis locis. Nonnumquam librarius corrigendo vera restituit, quod fugit priores, cum prave legissent, quae scripta sunt. Velut XII 33, 5 Baiterus et Ritterus *Ordovicas* primum Rhenanum scripsisse dicunt; in codice esse *Ordolucas*. At vera nominis forma in ipso codice aspicitur; nam librarius cum post *o* aut *I* aut *l* scripsisset, id correxit in *u* ac tum *i* scripsit (ergo ante *c* nullum est *u*). XII 42, 17 cum scripsisset *praebuit setque*, addita supra versum littera *s* expunctaque littera *t* effecit *praebuissetque* (falsa Ritt.). XII 68, 1 ex *vacabatur* erasa posteriore parte secundae litterae effecit *vocabatur* atque simili remedio XV 6, 14 *Cappadocumque* ex *Cappadacumque*. XIII 14, 6 *ne* correxit ex *qe*, non ex *que*, ut

ait Bait., nec vero ex *pe*, quod Ritterus quasi illum coarguens adfirmat. 17, 15 *detinere* effecit ex *retinere*, non ex *petinere* (nam *r* scribere coeperat) atque insuper *d* supra versum addidit. 18, 6 *liniri* mutavit in *leniri*, superposito *e*. 56, 17 cum scripsisset *etrore* (sic recte Baiterus), expuncto *t* et superposito *r* effecit *errore* (falso Ritterus *etrrore* idque temere rursus apposito „sic"). XIV 60, 1 uterque pro *consulto* in codice *consultum* esse dicit. At eadem manus *u* in *o* mutavit et signum *m* litterae duabus lineolis transversis delevit. 65, 2 in vocabulo *adversatum* litterae *t* non suprapositum est *rum*, ut ait Ritt., sed compendium syllabae *ur*, ut sit *adversaturum*, ut recte dicit Bait.; at ne is quidem illud compendium eadem manu addita obliqua lineola esse deletum ait. XV 13, 12 male uterque pro *vologesen* scriptum esse *vologesesi* refert (quod quis crediderit?). Verum hoc est: librarius scripserat *vologeses*, mox extremam litteram in *n* ita mutavit, ut priore hasta litterae *n* mediam *s* litterae partem obtegeret. Hoc igitur debebat dici: „*vologesen* corr. eadem m. ex *vologeses* M." XV 27, 14 librarius postquam *pelluit* scripsit, ex priore hasta litterae *u* fecit *j* (i. e. *i*), posteriorem eo more, cuius etiam plura exempla sunt, integram reliquit, *i* adiuncta lineola delevit. Itaque *pellit* correxit ex *pelluit*. XV 45, 13 *egressum* pro *egressus* scriptum esse dicunt. At eadem manus ex compendio litterae *m* supra *u* posito fecit *s* illud, quod saepe in fine vocabulorum eodem loco quo compendium illud invenitur. Eodem remedio 54, 16 *animum* mutavit in *animus*. 53, 11 pro *ut alii* scripsisse librarium *utilia* referunt, non referunt partem erroris ab ipso esse emendatam. Nam *a* duabus lineolis delevit et *j* litterae, quae antecedit, supraposuit *i*. 55, 5 scripsit *audierat*, mox *v* supra versum addidit. Itaque scribendum est *audiverat*, qua forma usus est Tacitus etiam IV 54, 6. — XV 57, 10 partem veri restituit, cum in vocabulo *exprexit*, quod scripserat, posteriori *x* supra versum adderet *s*. 71, 16 vera forma nominis *Egnatiae* in ipso Mediceo superest; nam librarius postquam scripsit *etgnatia*, *t* lineola delevit.

Satis amplam materiem criminandi eis praebui, qui horum temporum philologos parva atque inania quaerere et litterarum figuras sectari dictitant. Sed erit mihi tanti, modo eis, qui Cornelii Taciti libros cum cura legunt, paucis quibusdam locis scriptoris manum restituisse videar eosque adducam, ut fidem codicum Mediceorum maiorem esse fateantur quam usque ad hunc diem credere licuit.

Druck von W. Pormetter in Berlin.

